



# ACTORES.

*Leiser H. verbunden gehört hinter 131.*

- Dynasta. Homo Nobilis & Excell. D. Joannes Jacobus Milbacher Phil. & Medic. Doct.*
- Dives. Doct.*
- Legatus Moris. Nob. & Doctiff. D. Stephanus Josephus Muerpöck, Med. Stud.*
- Prætor. Prænob. D. Jo. Anton. Rochus Christoph. de Siebm.*
- Ædilis. Franc. Clemens Wagenfai, Theol. Mor. Stud.*
- Quæstor. Andreas Kaufner,*
- Pincerna. Josephus Sutor, } Dialect. Stud.*
- Tribun. Milit. Jo. Michaël Zenger, }*

## Musicam Composuit.

Ornat. ac Spect. Dom. Christophorus Hirschberger Aulæ, & ad Templum S. Michaëlis Musicus.

## PERSONÆ MUSICÆ.

- Homo Dives. Ornatiff. & Spectatiff. D. Andreas Eckhart, Sereniff. Elect. Bav. Aulæ & Camera Musicus.*
- Mors. Ornat. ac Spect. D. Christophorus Hirschberger, Aul. & ad Templum S. Michaëlis Musicus.*
- Anima. Franc. Xaver. Wiestner, Hum. B.*
- Caro. Dominicus Sedlmayr, Synt. min. A.*
- Messor. Franc. Jos. Fridericus Vogel, Synt. maj. A.*
- Chorus Messorum. Franc. Paulus Aireffer, Rhetor.*
- Joannes Freidlperger, Rhetor.*
- David Schvvaiger, Hum. A.*
- Matthias Bachmayr, Gram.*
- Antonius Wiestner, Gram. A.*
- Leonardus Scheiderer, Gram. A.*
- Joannes Bfchor. Rud, B.*
- Joannes Wirgartner, Rud. B.*

### O. A. M. D. G.

Univ. Bibl.  
München

# P R Æ L U D I U M

*Ex Parabola Evangelica. [Vers. Christoph Wähl. ?] Lucae 12.*

*Chorus Messorū.* **E**st messis optima. *Uberes fructus ager attulit.*

Eia! Læti in laborem introeamus,

Canamus, plaudamus.

Messores canite, & falces promite,

Cum gaudio, & júbilo,

In messem involate, manipulos ligate.

Felix vita est messorum,

*Solo.* Quando fructus est laborum,

Quando spicæ albicant.

Tunc messores, & pastores

Inter grata saltant prata,

Pedibus tripudiant.

*Homo Dives.* Quæ vobis lætitia?

*Messor.* Tam læta tempora nesciunt, quid sit tristitia.

Domine; *Fructus uberes ager attulit;*

Hinc gaudio cor nostrum exilit.

*Nam & qui seminat, gaudet, & qui metit.*

*Homo Dives.* Ah! quàm sollicitè expectavi æstatem!

Quàm timui grandinem, & tempestatem!

Nunc si fruges ad messem maturæ sint,

Meamque spem impleverint,

Quos habuï, desinent mœrores.

*Messor.* Ubertas & copia longè superat annos priores.

*Aria.* Saturni non sic aurea

Florebant olim sæcula,

Nec tantâ abundantia

Messem dederunt Gargara,

A

Quàm

Quam Ceres fructuosa,  
Et seges copiosa  
In tuis latè agris stat.  
Pro tanto rerum cumulo  
Non locus est in horreo.  
Immensâ rerum copiâ  
Impleta sunt granaria,  
Et Bacchus & Pomona  
Multiplicata dona  
In nova jam tributa dat.

*Horatio Dives.* Ergo ite alacres, ite messorum,  
Et læti introite in labores,  
Larga cuilibet dabo præmia;  
Merces vestra erit maxima.

At ego quid faciam? *Quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Luc. 12.

*Aria.* Distenta jam sunt horrea;  
Jam plena sunt granaria;  
Arca flagellat opes;  
Omnes abundant res.

*Quid faciam?*

Non habeo, quò congregem,  
Tam multam jam possedi rem,  
Omni ex parte dives.

*Quid faciam?*

*Hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea. Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: Requiesce, comede, bibe, epulare. Hoc faciam,*

Surgant palatiâ, urbis solatiâ,  
Stent ruri prædia, ad vitæ commoda;  
In istis aurei ponantur lectuli,  
In lectis mollia locentur stragula,  
Et dicam animæ: quiesce, fruire,

Quæ tibi præparavi.

Conquiram fercula ex cunctis optima,  
Non bibam alia, quàm vina Maslica.  
Inter delicias, inter lautitias  
Sic vitam liberam jucundus transigam.  
Et dicam animæ, quiesce, fruire,

Quæ tibi præparavi.

*Mors.*

Et ego falcem acuo, in tuam messem involo.  
Actutum da tributum!

*Homo Dives.*

Da mihi decimas ex omnibus, quæ congregas!  
Quis hic tam severus imperator?

*Mors.*

Ego sum Messor, & decimator, cui dixit Dominus:  
*Mitte falcem tuam, & metes, quia venit hora, ut me-*  
*tatur, quoniam aruit messis terra.* Apoc. 14.

Ego Dei utor potestate, & in vitæ æstate,  
Quod placet, resco, in tumultum infero.  
Tu modò decimas dabis, tributum præstabis.  
Novi tuas cogitationes, insanas substructiones,  
Quas volvebas animo, rerum æternarû improvido.

*Dixit autem Deus: Stulte! hac nocte animam tuam*  
*repetunt à te! quæ autem parâsti, cujus erunt?*  
Lucæ 12.

*Aria.*

Tu feris, & metis.

Pro frugibus lætis

Magnas ædificas ædes,

Majores superstruis spes.

An

An putas, mi Dives!

Æternùm hïc vives?

Citò jam promove pedes.

Citatus ad tumulum es.

Vade, quã te duco semitã, & mecum ambula.

*Homo Dives.*

Heu me! quid ais? Moriendum? *Mors.* Moriendum.

*Homo Dives.*

Hodie? *Mors.* Hac nocte repetunt animam tuam à te.

*Homo Dives.*

Ah! Inducias usque manè! *Mors.* Sunt preces irritæ,  
sunt vanæ.

*Homo Dives.*

Ergo non dabitur mora? *Mors.* Effluxit jam hora.  
Ad horæ dimensum mors vocat ad censum.

*Homo Dives.*

*O mors! quàm amara est memoria tua homini pacem  
habenti in substantiis suis! Eccli. 41.*

*Aria.*

Ah quanto amore

Hanc vitam dilexi!

Ah quali in flore

Hos annos provexi!

In vere ætatis,

Succumbo nunc fatis,

O rigida fors!

Robustæ sunt vires,

Sum corpore sanus,

Lacerti viriles,

Et vegetæ manus.

Dilecta O vita!

Quàm præteris cita!

O aspera mors!

*Mors.*

Lacertos non curo è robore duro;

Non æstimo flores, non curo honores,

Discrimen non fit; vel senex, vel juvenis fit.

Sciebas, audiebas: *Quia Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm  
enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus,*  
1. ad Theff. 5.

# EPILOGUS

In illud: *Et quæ parâsti, cuius erunt?* Luc. 12.

*Anima.*      *Caro.*      *Mors.*

*Anima.*

**I**Nfelix sum anima! Me occupat mors subita!  
Iubeor convasare, & aliò migrare.  
Abeundum extra mundum, itinere longissimo;  
Non est hora, non est mora, ut me instruam viatico.

*Aria.* O vita! Non vita,

Quæ peris tam cita!

Quæ laboris more torrentis,

Quæ raperis ocyor ventis!

Ut Flora, in hora

Mutabilis es!

O spatium breve!

Momentum ô leve!

Quàm nulla in vita est quies!

Quàm pauci, quàm breves sunt dies!

O vita, cur ita

Instabilis es!

Vah qualis hæc facies! Quàm terrifica species!

Sum tua Caro; non nôsti me?

In habitu tam paupere?

Cur non ornata, ad iter parata?

Nonne ego te nutriti in croceis, vestibus in byffinis?

Sum spoliata, denudata; rem abstulerunt omnem,

Præter hunc centonem funebrem.

Quinam isti prædones? *Caro.* Vespillones.

Sed & hæredes & agnati, inter se rixati,

Vestimenta mea sibi diviserunt, solum hoc dixerunt:

*Caro.*

*Anima.*

*Caro.*

*Anima.*

Anima.

*Sicut egressa es nuda de utero matris tue,  
Sic reverteris, & nihil auferes tecum. Eccle. 9.*

Heu me! spem omnem posui in te!  
Instruxi supellectilem, tot rebus divitem,  
Conditoria, armaria, copiosa, varia  
Paravi pro te.

Coacervavi thesaurum, argentum & aurum,  
Domos & palatia, hortos & pomaria  
Ædificavi pro te.

*Universa opera, quæ fecerant manus meæ,  
Et labores, in quibus frustra sudaveram. Eccle. 2.*

Ubi sunt? *Caro.* Omnia illa tanquam umbra transie-  
runt.

Anima.

Ubi jam necessarium itineri vestimentum?

Caro.

En tumbæ funebris operimentum.

Anima.

Ubi loculus? Ubi peculium?

Caro.

Non habeo obolum. En sarcophagus, en loculus!

Anima;

Ubi de nocte quiescemus? ubi lectū, ubi lectū habemus

Caro.

*Solum mihi superest sepulchrum. Job. 17.*

Hem magnificum pro me palatium!

In hac fossa cubabunt ossa,

Et Caro putrida jacebit in hac fovea.

Anima.

*O vanitas! & cura superflua! Eccle. 4.*

*Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo  
laborat sub sole? Eccle. 1. Telas aranea texuerunt.*

*Tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur  
operibus suis; opera eorum opera inutilia, & opus iniqui-  
tatis in manibus eorum. Isai. 59.*

*Aria.* Aranea texendo,

Et stamina nestendo,

Ut se eviscerat.

Ut



Ut bombyx trahit filum,  
Nec tamen habet pilum,  
    Quo se operiat;  
Sic multa præparando,  
Et carnem exornando  
    Me totam dederam;  
Laborem Arachneum  
Nunc cerno esse meum  
    Et vanam operam.

*Caro.*

Ego verò, quasi sterile fœnum, *arui, & facta sum quasi lignum.* Thren. 4. combustione dignum.

Mors destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsa arbori abstulit spem meam. Job. 19.

*Aria.* Prostrata Jovis ignibus  
Evulsa è radicibus  
    Ut arbor perdit folia,  
    Et flammis datur victima,  
    Fit pulvis atque cinis.  
Sic jaceo, sic pereo,  
Mox inferenda tumulo;  
    Relinquo morti spoliâ,  
    Et dabo flammis pabula.  
    Hic carnis tandem finis.

*Anima.*

At verò istorum tu Lerna malorum.

*Caro.*

At verò meorum tu causa dolorum.

*Anima.*

Tu caro es. *Caro.* Tu anima es.

*Anima.*

Tu me impellebas ad hæc peritura.

*Caro.*

Cur non quærebas æternùm mansura?

*Anima.*

Tu concupiscebam adversus spiritum.

*Caro.*

Cur non reprimebas carnis stimulum?

*Anima.*

Tu contra stimulum calcitrabas.

*Caro.*

Cur non melius me frænabas?

*Anima.*

Tu rebellis nolebas obtemperare.

*Caro.*

Tu stulta nesciebas me gubernare.

*Anima.*

*Anima.*

Tu delicata famula. *Caro.* Tu scelerata Domina,

*Anima.*

Tu cunctorum &c. ut supra.

*Anima.*

Quoties te monui ?

Neglexisti monita.

Leges certas posui,

Dedi & imperia.

*Caro.* Nunquam erāt seria

Quoties exhibui

Tua hæc imperia.

Inferos & Tartara!

Quin & poenas statui,

*Caro.* Verba erant vacua,

Minitabar verbera.

Bruta erāt fulmina.

*Mors.*

Verborum satis. Nunciter ingrediendum æternitatis.

Tu hac, tu illac ibis; neutra in hunc locum redibis.

Tu ad iudicium; tu vade ad tumulum.

*Anima. Caro.*

Heu me! *Siccine separat amara mors?* 1. Reg. 15.

*Anima.*

Vade, maledicta! vade, vade nunc ad tumulum.

*Caro.*

Vade, maledicta! vade, vade ad supplicium.

Ad infernum, ad æternum vade Stygis barathrum.

*Anima.*

Mox sequeris, ut damneris idem ad supplicium.

*Mors.*

Vides homo, *quæ parasti, cujus erunt?*

*Aria.* Sic ex orbe transeunt,

Quotquot vivunt homines,

Nil de suis auferunt,

Vivi quas habebant res.

Omnes res, opes, spes,

Velint, nolint, deferunt.

O! quàm læto pectore

Mortis carpit semitam,

Qui in statu paupere

Vitam ducit integram;

Bona sors, felix mors,

Hac qui novit cadere.

Quisquis hïc ades, seu pauper, seu dives,

Cogita, *Morieris enim tu, & non vives.* 4. Reg. 20.